



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 90. Papa Roma Mantuam profectus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)



honoratus fuisset. Supremam diem obiit apud Nannetes hoc anno die vigesima sexta Decembris. Successorem habuit Franciscum hujus nominis secundum Britanniae Ducem, Richardi Britanni Filium, qui vulgo Comes Virtutum dicebatur, & die vigesima octava Februarii anno sequenti Montbasoniae Regi clientelare obsequium profitebatur.

Sæcul. XV.

A.C. 1459.

Montbasonia

## §. XC.

*Papa Roma Mantuam profectus.*

Ineunte hoc anno Pius Pontifex, cum omnia pro Conventu Mantuæ indicto rite essent disposita, die decima octava Februarii (\*) Roma discessit, ubi Nicolaum de Cusa Cardinalem Legatum, necnon Principem Columnam urbis Præfectum reliquit, præter quosdam Cardinales, Auditores Rotæ, atque Causidicos, apud quos Romana Curia, non minus quam Papa præsentem, esse deberet. Præterea annuentibus Cardinalibus Decretum edidit, quo sancitum, ut Successoris electio, si ipsum extra urbem mori

Platin. in  
vita Pii II.Comm. Pii II  
lib. 2.

(\*) Pagius in suo Breviario Continuatore hic halucinasse notat, ex MS. Codice tabularii Vaticani comprobans, Papam de urbe recessisse die 22. Januarii.



Sæcul. XV.  
A.C. 1459

ri contingeret, non alibi, quam Romæ fieri posset. Ceterum Papa minus celeriter suum iter prosequabatur; quandoque enim brevius, nonnunquam vero longius in quibusdam urbibus diversabatur, prout negotiorum necessitas moram dictabat. Celebravit Festum Cathedralis S. Petri vigesima secunda Februarii die Corfiniani, ubi natus erat, quem etiam locum postea civitatis juribus donavit, ac Pientiam nominari voluit. Inde vero Senas profectus, eam urbem in Metropolim evexit, dato diplomate die vigesima tertia Aprilis, quo quatuor viciniores Episcopatus ejusdem suffraganeos declaravit, primumque illius Archiepiscopum nominavit Antonium Piccolominæum Nepotem suum, quem sibi Pius, quamprimum Petri Cathedralis ascenderat, Successorem in eadem Ecclesia Senensi designabat. Ibidem Friderici Imperatoris, Castellæ, Hungariæ, Lusitaniæ, Bohemiæ Regum, Philippi Burgundi, & Alberti Austriaci Ducum, necnon Friderici, & Alberti Brandeburgensium Marchionum Oratores excepit. Cum vero indigne ferrent Germani, Matthiam a Pontifice Hungariæ Regem appellatum fuisse, eoquod Barones Regni (ut dicebant illi) jam ipsum Cæsarem sibi Regem elegerint, Pontifex injustam eorum querelam esse pronuntiavit, cum mos esset A-  
post-



postolicæ Sedis eum Regem salutare, qui Sæcul. XV.  
A. C. 1459.  
Regnum teneret, ob quam etiam rationem Callistus Prædecessor ejus priori tempore Podiebracium Bohemiæ Regem appellasset.

Cum vero omnes iidem Legati publice in Ecclesia debitam summo Pontifici obsequium, suamque obedientiam præstitissent, solus Bohemiæ Regis Orator non nisi in secreto Patrum Senatu idem homagium profiteri voluit, veritus, ne Domino suo Regni partem (\*) alienaret, si se, Regis sui nomine, Apostolicæ Sedi plene submitteret. Abjuraverat quidem Podiebracius anno præterito hæresim; sed illius sinceritas non paucis suspecta erat; sciebant enim, hunc Regem sanctissima quæque ad firmandum solium suum simulata pietate adhibere solitum esse.

§. XCI.

*Silesitarum querelæ contra Podiebracium Bohemiæ Regem.*

Præterea hac ex causa Silesitarum Oratores, nullo pacto se Podiebracium Regem suum suscepturos contestantur, simulque queruntur, quod eum suis literis  
Sedes

(\*) Nempe illam Regni partem, quam Hussita usurpaverant.